



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Diuisio relationis in Prædicamentalem, & transcendentalem, & in
quonam ambæ dissideant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

putandi gratia permixtis, haud est minus difficile ad intelligendum quo pacto vnus, idemque modus prädicamentaliter referre possit scientiam ad scibile, & e conuerso scibile ad scientiam: ita certè Pater ad filium, & filius ad Patrem vno tantum modulo referri poterunt, nec Paternitas erit à filiatione, aut hæc ab illa realiter distincta: quod modalistarum nemo, quem viderim, ausus est hucusque asserere, vno excepto Henrico qui id quodlib. 9. quæst. 3. aut sentit, aut certè subinducat.

19 Pater Suarez disputatione & sectione paulò suprà citatis n. 11. & 12. Caietanum impugnat, propterea quod eadem forma nequeat esse par diuersis denominationibus simul tribuendis; vnde confici videtur eundem modum, quo scientia refertur prädicamentaliter ad scibile inferuire non posse ad referendum è contrario scibile ad scientiam, eique vicem rependendam. Verum, vt iuxta ipsum eadem forma denominat causam agentem, & passum recipiens, non est, si aliunde non obstat, cur etiam idem modus scibile ad scientiam, & ad illud hanc referre nequeat, diuersasque eis denominationes impertire: quod enim ait ibidem eximius Doctor, in forma illa quantumvis realiter vna, distingui tamen ratione duas formalitates, quarum vna sit actio, & alia passio, neutiquam satisfacit: namque etiam in modo illo Caietanico similis formalitatum distinctio potest excogitari. Rursus eadem realiter cognitio potentiam cognoscentem, & obiectum denominat cognitum: vnitatis ergo formæ cum effectuum formalium, siue denominationum multiplicitate coheret.

20 Dilucidior ergo argumenti me iudice solutio est; relationem scibilis ad scientiam, & huius ad scibile esse realem: at vt superius inter ipsam diuisionem, quam tuemur, explicandam insinuatum est, hoc esse vtrinque discrimen, quod ea relatio sit essentialis scientiæ, siue sit prädicamentalis, siue transcendentalis tantum, de quo in tempore; scibili vero tantum extrinseca & accidentalis, vtique penes id, quod importat in recto, & ex principali: atque hoc satis esse, vt ea relatio non sit mutua in eodem genere, sed potius cuiusdam reciprocatationis experts. Non ræ lateat, Scotum in 4. dist. 12. quæst. vnica, in ea esse sententiam, vt putet scientiam haud essentialiter referri ad obiectum, sed tantum ex accidenti, siue talis relatio accidat scientiæ extrinsecus, siue extrinsecus, & siue in ea sit reipsa, siue tantum ex modo nostro concipiendi: aliter enim, aliterque solet accipi eo in loco Scotus. Verum latè reiciendus est infrà lib. 7. tract. 3. Modo satis fuerit eum ad hominem impugnare: sicut enim scientiæ iuxta ipsum essentialis est respectus ad subiectum, quod denominat sciens; cur non etiam ad obiectum, quod denominat scitum aut scibile?

21 Ad secundum argumentum respondeo: in primis esse probabile non tantum creaturas ad creatorem, sed hunc ad illas realiter referri, velut Dominum, maiorem, creatorem, aut similem quodammodo: id enim rationes obiectæ suadent: id censent auctores non ignobiles, præsertim verò Durandus in 1. dist. 30. q. 3. Ocham, & Gabriel ibid. q. 5. Gregorius in 1. dist. 28. quæst. 3. art. 1. Marilius in 1. quæst. 3. art. 1. Palacius in 1. dist. 5. Hurtado disp. 15. metaph. sect. 2. & apud eum Soncinas, Heruæus, & alij. Quamuis autem ita se res habeat, certè nihil inde colligitur aduersus nostram assertionem: tum quia licet relatio realis Deum, & creaturas inuicem comparans sit mutua in diuerso genere, at in eodem est non mutua: in Deo enim est dominij, in creaturis seruitutis, in illo causæ, & creatoris, in his effectuum, in illo non prädicamentalis, saltem physice; sicut enim substantia Dei est extra

prädicamentum, vel omne, vel certè physicum, ac magis rigorosum quidquid sit de metaphysico, ita etiam eius relatio quæuis iuxta dicta superius tract. 1. huius libri in his vero prädicamentalis: in illis neutiquam essentialis, aut iuxta aliorum phrasim transcendentalis: in his vero essentialis, & quidditatiua: tum etiam, quia, quidquid sit de Deo, & creaturis, certè inter scientiam, & scibile, aliaque extrema est visere complures relationes minimè reciprocatas. Vtrumque autem horum satis est ad præfaram diuisionem. Ad tertium argumentum constabit inferius cap. 7.

22 Non me præterit PP. Suarez Hurtadum, ceterosque communiter eius diuisionis, qua de agimus patronos tueri relationes reales, nec in eodem, nec etiam in diuerso genere mutuas. Verum id & falsum est, vt liquescit ex hæcenus dictis, & ad diuisionem illam tuendam supernacaneum: sicut enim principia entis naturalis, videlicet materia, forma, ac priuatio definiuntur ab Aristotele, cæterisque philosophis, quæ neque ex se neque ex aliis fiunt, sed omnia ex ipsis, non quod non sint ex aliis principiis in diuerso genere: sunt enim ex causis suis efficientibus, sunt etiam suis ex finibus, sed quod non in eodem, ita similiter, vt præter relationes mutuas adstruantur aliæ absoluta ratione non mutua, sufficit eas non esse tales in eodem genere quamuis interim reciprocentur in diuerso.

CAPVT II.

Diuisio relationis in prädicamentalem, & transcendentalem, & in quonam amba diffideant.

23 Relatio prädicamentalis dici consuevit, vel quæ quidpiam dicitur simile, aut dissimile, æquale, seu inæquale alteri, vel qua quispiam dicitur Pater, aut filius alterius; quo etiam accedunt aliarum quarumcunque causarum, & effectuum id genus respectus, vel qua denique scientia ad scibile, & mensura quæuis ad mensurabile referuntur, aut è conuerso: Relatio transcendentalis latius funditur, & per omnia, vel certè pleraque vagatur prädicamenta: substantia namque refertur transcendentaliter ad accidentia, quibus subsistat, hæc ad substantiam, cui inhærescunt, actio ad terminum, quem productum, causamque, quam producentem denominat, passio ad formam, quam receptam, subiectumque, quod recipiens constituit, vbicatio, & duratio ad tempus, & locum. Hæc relationis in vtramque diuisionem quali quali enumeratione declarata inter omnes est recepta: illud autem non admodum; quæ sit ratio relationis omnes prädicamentales complectens, & à transcendentalibus fecernens, quæve è contrario cunctas transcendentales cohibeat, & prädicamentales reiciat.

24 Aliqui quorum meminit Pater Suarez disput. 47. metaphys. sectione 4. numero 2. & P. Hurtadus disputatione 15. metaphys. sectione 8. num. 68. quosque postea sequutus est P. Balthasar Tellez in metaphys. disputatione 42. sect. 1. conclus. 2. num. 21. docent vtriusque relationis discrimen in eo situm esse, quod transcendentalis non postulet terminum existentem actu, secus verò prädicamentalis: etenim vbi sit aliquis Pater, oportet aliquem eius esse filium, si similis quis, opus etiam est, vt quispiam ei existat vicissim similis; quod idem visere est in reliquis respectibus id genus: cæterum cognitio, verbi gratia, refertur

refertur transcendentaliter ad obiectum, quod non existit, causa ad effectum, quem non causat, aut causatura est, sed quem potest tantum in existentiam, lucemque rerum producere. Verum hoc discrimen haud est sufficiens: nam præterquam quod infra constabit, relationes prædicamentales non paucas minimè postulare existentiam termini vllius, multæ sunt transcendentales, eamque exposcunt, videlicet actio existentiam effectus, passio formæ, quam facit alicui subiecto inhærescere, vnio extremorum, quæ vnit, cognitio intuitiua obiecti cuius in obrutu sistit, atque contemplatione.

25 Alij, quorum mentionem faciunt Suarez loco citato & Arriaga disputatione 12. Logica sectione 4. num. 11. quibusque subscribit Tellez vbi supra malunt, relationem prædicamentalem in eo differre à transcendentali, quod hæc ex genere suo neutiquam exspectat terminum realiter distinctum, vt cernere licet in scientia Dei ad seipsum transcendentaliter relata, quin sit à seipso realiter distincta, illa verò distinctionem realem termini à fundamento deposcat, vt liquet relationum omnium prædicamentaliū exemplo. Cæterum verisimilius est, relationem scientiæ diuinæ ad seipsum haud esse transcendentalem: transcendentalis enim relatio est vera, ac propria relatio, ea vero, quæ obicitur, non est vera relatio, nec, quod perinde est, verè ad aliud, propter identitatem realem fundamenti, & termini. Rursus secundo quamuis scientia ex genere suo non postulet distingui à termino, quem natura cognoscit, at quid dicent aduersarij ad causam ex genere suo, semperque distinctam realiter ab effectu, quem nihilominus transcendentaliter respicit?

26 Tertiò alij, inter quos Hurtadus, & Arriaga superius laudati putant, relationem transcendentalem esse, quæ est essentialis fundamento, eiusque quidditatem transcendit, prædicamentalem verò, siue ad genus accidentale dici solitum *ad aliquid* pertinentem esse è contrario eam, quæ est accidentaria fundamento: nam Petro, verbi gratia, accidit esse Patrem, similem, æqualem aliamve eiusmodi denominationem subire: at cognitioni essentialis est respicere obiectum, actioni terminum, causæ effectum, durationi, & vicationi tempus, & locum. Sed ne hæc differentia placeat: etenim non solum actio, & cognitio referuntur transcendentaliter ad terminos suos, verumetiam earum munere agens, & cognoscens: at alterutri accidit, quod agat, cognoscatve: quod autem ipsis formis vnde petuntur ambæ denominationes non accidant, parum interest: siquidem Paternitati non accidit respectus ad filium, aut cum eo coniuncta denominatio, nec similitudini similiter alterive vlli relationi prædicamentali. Rursus creatura per seipsam est essentialiter similis creatori, quatenus ens, aut prout substantia; & tamen ea relatio essentialis non propterea in transcendentalibus est numeranda, sed potius prædicamentaliibus accensenda.

27 Quartò P. Suarez disputatione & sectione citatis numeroque 9. Fonseca 5. metaphys. cap. 15. quaestione 1. sectione 4. Theophilus Raynaudus in disciplina morali distinctione 4. quaestione 1. art. 1. num. 13. Caietanus in opusculo de ente & essentia capite 7. quaestione 15. Masius in prædicam. cap. 7. sectione 1. quaestione 6. Iauellus 7. metaphys. quaestione 1. Conimbricenses, Balthasar Tellez, & alij docent, relationem prædicamentalem esse eam, quæ terminum intuetur suum, vt purè terminum, transcenden-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

talem vero, quæ non vt purum terminum, sed *sub aliqua determinata ratione, vel subiecti, vel obiecti, vel finis, vel efficientis*. Prior itaque nullum erga terminum munus exercet, nisi respicere, vt Paternitatem, & quamuis aliam id genus relationem intuenti palam erit: posterior vero aliud: nam cognitio obiectum, quod respicit, denominat cognitum, volitio volitum, vt sic dixeris, causa effectum, quem intuetur aut efficit, aut certè potest, contra effectus causam ita respicit, vt non tantum sistat in eo respectu, sed ulterius eam imitetur ac participet, vnio quoque extrema sua non respicit modò, sed præterea necit & coniungit intimè.

28 Cæterum ne hac ratione fecerintur ex sufficienti altera earum relationum ab altera, dummodo nominibus sua constet significatio, nec detorqueatur aliorum: siquidem vbi cognitio exerceat aliquod munus erga obiectum, propterea quod illud cognitum, & repræsentatum denominet, atque cognoscenti assimilet; etiamsi tota hæc denominatio, quam impertit, sit extrinseca, non video cur similitudo physica Petri cum Paulo non exerceat circa hunc munus aliquod, quippe quem denominat assimilatum, non intentionaliter, sed, quod plus est, physice, & re vera: vt ergo cognitio, sic relatio prædicamentalis respicit terminum suum non vt purè terminum. Quocirca refellitur hinc secundo doctrina eadem: nam quidquid aliud respicit extrinsecè, eique tantum tribuit denominationem aliquam de foris cadentem illud intuetur vt purè terminum; nec vero alia de causa Paternitas, similitudo, & similes relationes prædicamentales terminos suos vt purè tales aspeçant: at is respiciendi modus conuenit etiam in non paucas relationes transcendentales. Tandem, vti optimè arguunt recentiores aliqui, quemadmodum dare esse intrinsecum est exercere munus aliquod, ita & illud recipere; quo pacto causa prima creaturis, & hæc vicissim illi præstant officium quoddam, aliqui nullus esset vtriusque respectus transcendentalis: similiter ergo non magis erit exercere munus tribuere esse extrinsecum, quam illud recipere: at vti cognitio dat obiecto esse extrinsecum cogniti, seu cognoscibilis, ita cognoscibile recipit illud à cognitione: sicut igitur cognitio exercet munus aliquod erga cognoscibile, seu scibile, illudque, non vt purum respicit terminum, ita similiter se habet scibile, siue cognoscibile respectu cognitionis, eique eandem vicem rependit: nihilominus relatio illius ad hanc est prædicamentalis iuxta eos, quibuscum cernimus.

29 Quintò alij cum Scoto in tertium, distinctione prima, quaestione prima, & in quartum, distinctione decimatertia, quaestione prima, & quodlibet. 11. art. 4. ac Durando in 3. distinctione 5. quaest. 2. num. 8. & Gabriele, Biel censent relationem, aliam esse intrinsecus aduenientem, id est talem, quæ positis extremis suis fundamento, videlicet & termino, necessario resultat; aliam vero extrinsecus aduenientem, quæ nimirum ea necessitate non consequitur extrema, quæ interiacet: Priorem relationem putant esse prædicamentalem, & constituere genus *ad aliquid* dici solitum: nam nequeunt vna, & alia albedo existere, quin sint similes; albedo, & nigredo, quin dissimiles: duo palmi, quin æquales; palmus, & sesqui palmus, quin è contrario inæquales: Petrus, & Paulus à se genitus, quin alter sit filius, & Pater alter: similiter se habet relatio scientiæ, & scibilis, & quæcunque alia spectans ad prædicamentum, de quo est concentratio. Posteriorem

N

verò

vero relationem existimant esse transcendentalem, & sex vltima prædicamenta complecti, omniaque, & singula liberè transcendere: potest enim ignis, verbi gratia, & lignum existere, quin resulter utrinque actio calefactiua, quinve passio, siue receptio caloris, si nimirum distent inuicem, aut si supposita indistantia, atque applicatione Deus frantum iniciat actiuitati ignis, eamque cohibeat, vti fecit olim in fornace Babilonica, in quam deturbati sunt tres pueri Hebraei Sidrach, Misach, & Abdenago, vt refertur Danielis tertio capite. Imo in actione libera naturaliter, & præter omne miraculum cernere est hoc ipsum. Possunt item Petrus, & locus aliquis existere sine vbitate, merito cuius ille talem occupat locum: idem etiam tempus sine duratione, seu quando, munere cuius ei coexistat: at hæ partes continuæ corporis alicuius possent, & solent inueniri absque eo, quod destinatum situm, destinatumve proportionem præ alia sibi vendicent. Denique homo haud semper induit vestimentum, haudve ex vtriusque coexistentia necessario resultat habitus.

30 Caterum hi auctores nimirum in primis abutuntur crymo: earum enim relationum, quas in scholas inuehunt alteram debuissent potius appellare necessario aduenientem, & alteram ex contingenti: similitudo namque, si sit extrinseca fundamento, vt multi putant, utque in hac quaestione, si non adstruitur, at permittitur ab omnibus disputandi gratia, qua proprietate dici potest fundamento intrinsecus adueniens? actio contra, si, pro eo ac non pauci censent, sit intrinseca agenti, qua ratione ei extrinsecus accidens? quidquid autem sit de actione situs partium cathedræ, verbi gratia, eis intrinsecus, qui dici potest respectu illarum extrinsecus appellens. Rursus secundò; aut est sermo de fundamento, & termino proximis, aut de remotis? si secundum? vti ex igne, & ligno secundum se, & remotè sumptis potest non resultare actio; ita Petro, & Paulo, verbi gratia, simili modo existentibus potest etiam non reperi eos inter: relatio prædicamentalis propinquitatis: cur nam ergo hæc potius, quam illa extrinsecus adueniat & non ambæ ex æquo? si primum? vti ex Petro, & Paulo, si his destinatis vbitatibus sint affecti, ac proximè expediti ad relationem propinquitatis, hæc necessario, & inuitabiliter resultat, ita pariter actio ex causa necessaria proximè expedita ad operandum, eiusque passio ad recipiendum accincto, vnum enim ex requisitis causæ secundæ est voluntas præparatiua diuini concursus, quæ si cum cæteris adsit, ne Deus ipse poterit impedire, quominus causa agat, atque operetur: quid est ergo, quapropter altera magis, quam altera sit intrinsecus adueniens, & non potius vtrique pari iure, & modo?

31 Præterea tertio: non agens tantum refertur transcendentiter ad terminum suum, sed multo maxime actio ipsa, illud videlicet per actionem à se distinctam, hæc verò per seipsam: at posita actione, quæ est veluti fundamentum huius posterioris relationis, & simul eius termino, nequit etiam diuinitus non existere actio; omne siquidem dum est, necessario est, vt est in paromia, & omnibus recepta, & sponte sua manifesta: huiusmodi ergo relatio transcendentalis intrinsecus aduenit, non minus, quam prædicamentalis; imò multo magis, quandoquidem illius resultantia, vel solo intellectu fundamento est necessaria, & ineluctabilis: huius vero nonnisi posito etiam

termino, & fundamentum comitante. Idem argumentum confici potest in passione, vniione, modo omni, & ne multis morer, in quacunque relatione transcendentali in abstracto sumpta. Ad hæc quartò: non tantum sex vltima prædicamenta, videlicet actio, passio, &c. referuntur transcendentiter ad suos terminos, verum etiam res aliorum prædicamentorum, verbi gratia, materia ad formam substantialem, & hæc ad illam; vtrique etiam ad accidentia absoluta, quibus substant, & hæc ad vtramque. Idem esto postrema prædicamenta sint relationes prædicamentales, non tamen omnia, sed aliqua; habitus enim, siue respectus eius, qui vestitur ad vestimentum, haud est magis transcendentalis, quam respectus similitudinis, æqualitatis, aliufve quouis id genus more indumenti hominem extrinsecè denominans: perperam ergo adstruitur relationem transcendentalem, siue extrinsecus aduenientem complecti sola sex vltima prædicamenta, perperam etiam complecti omnia.

Sextò alij cum Iauello 5. metaphysic. quaestione vigesima tertia, Fonseca etiam 5. metaphysic. capite decima quinto, quaestione septima, sectione tertia, Heruæo quodlibeto primo, quaestione nona, Soto in antepædicament. capite quarto, quaestione secunda, Cardinali Toletio in postpædicam. quaestione prima, docent relationem transcendentalem, & per sex vltima prædicamenta vagantem, eatenus differre à prædicamentali, quod hæc sit intrinseca fundamento, illa verò extrinseca: putant enim actionem, verbi gratia, esse formam transeuntem, & deforis à causa productam, eique tribuentem nihilominus denominationem agentis, durationem esse tempus rei, quæ durat, extrinsecum, vbiocationem locum rei locatæ neutiquam intrinsecum, paremque esse rationem cæterorum. Caterum, vt paulò supra visum, relatio transcendentalis sex vltimis prædicamentis longius, latiusque patet: perperam ergo supponitur cum eis eadem. Rursus passio an non causæ materiali, ac passiuæ intrinseca? an non etiam situs intrinsecus est partibus, quas disponit? locus item, ac tempus, tamen quædam rei locatæ, & duranti sint extrinseca, at sunt quædam alia intrinseca: haud enim vtriusque est eadem acceptio, vt cum opportunum fuerit ostendatur. Tandem relationem prædicamentalem non esse intrinsecam fundamento, huius decursu tractatus constabit.

Septimò alij, inter quos præcipui Pater Suarez 33 disputatione toties citata sectione 4. numero 14. & P. Fonseca libro quinto metaphysic. capite 15. quaestione tertia, sectione secunda, dicunt, relationem prædicamentalem in eo diffidere à transcendentali, quod hæc possit esse principium alicuius effectus, eique insit virtus aliqua actiua, secus verò illi. Contra tamen primò: quia relatio prædicamentalis, verbi gratia, similitudo duarum albedinum ab ipsis est realiter indistincta, vt infra liquebit: sicut ergo ambæ actiuitate aliqua, & energia pollent, ita & earum prædicta relatio reipsa, & secundum se totam sumpta. Contra secundò: quoniam, esto modus sit à fundamento, & termino suo distinctus, id nihil confert aduersariis: vt enim habet entitatem, & perfectionem transcendentalem, ita debet habere actiuitatem, siue perfectionem formalem: actiuitas enim cum entitate, & posterior perfectio cum priori, sicut in cæteris coherent inuicem, ac neutiquam inueniuntur separatæ, ita etiam in relatione; præsertim, cum iuxta dicta superius

superius libro 2. tractatu 1. cap. 1. ad finem, discrimen rei simpliciter existentis, cuiusmodi est relatio, iuxta hos auctores, ab eo, quod non habet existentiam, nisi secundum quid, & mediam inter ens reale, & rationis, sit vis quidpiam agendi, & fecunditas aliqua. Contra tertio: quia Paternitas, quam modum permitto, an non durat, & locatur? durationem ergo suam, & locum, siue vbitatem poterit, ac debet producere ritu ceterarum rerum, quæ in tempore, & loco existunt.

- 34 Postrema Patris Suarez superius sectione 4. numero decimoquinto, & aliorum opinio priori assimilis statuit, relationem prædicamentalem non produci per se, & immediate, sed per accidens, & mediatè, id est interstitio eius actionis, qua ponuntur eius fundamentum, & terminus: at contra se habere relationem transcendentalem. Verum cum relatio sit realiter indistincta à fundamento, & termino, qua vtrumque producitur immediatione, & perfectitate, eadem necesse est, & illam produci: quod si sit modus, aut formalitas fundamento suo intrinsecas, fieri non posse videtur, ut in rebus incipiat existere, quin aliqua ad eam actio immediatè, & per se tendat: alioqui fingere poterimus productum, & organizzato corpore, nullius alterius adminiculo, aut superuentu actionis, animam, vñionem, & cætera accidentia incipere in rerum natura: quod tamen adeo est falsum, adeoque absurdum, ut nihil supra.

CAPVT III.

Verior eius diuisionis explicatio.

- 35 Reiectis aliorum sententiis, ipse ita sentio; relationem prædicamentalem esse, quæ fundamento nullam perfectionem, aut entitatem intrinsecam superaddit, transcendentalem vero, quæ eiusmodi entitatem, aut perfectionem importat. Probat hęc differentia: relationes prædicamentales tertij generis procul dubio nullam perfectionem, aut entitatem fundamento intrinsecam important, cum sciri, aut cognosci rei extrinsecum sit, aut si intrinsecum est, ut plures Thomistæ volunt, iuxta eosdem nullam perfectionem, aut entitatem realem sed tantum quid rationis, atque fictitium in re cognita ponit: quod autem relationes prædicamentales primi, & secundi generis, nimirum in vñitate, aut diuersitate, potentia, aut actione fundatas attinet, in iis eadem doctrina adhuc certius locum habet, siquidem in fundamento, & termino re ipsa consistunt: proinde nullam perfectionem fundamento intrinsecam important, cum huic terminus sit ex genere suo intrinsecus: qui autem eam in modo reali, aut formalitate fundamento intrinsecas, illique superaddita putant consistere, tenentur idem tueri, nimirum nullam perfectionem, aut entitatem intrinsecam relatione, qua de agimus importari, alioqui singulis momentis substantiæ Petri penè infinitæ perfectiones, & entitates de nouo deperirent, & denuo aduenirent, cum relationes prædicamentales similitudinis, æqualitatis, &c. quas quouis instanti admittit, & acquirit innumeræ sint, ut inferius explicabitur. Ceterum omnis relatio transcendentalis, videlicet cognitio, amor, vbitas, &c. perfectionem aliquam, & entitatem fundamento intrinsecam inuoluit, ut partim in Physica ostendi, partimque in hoc opere ostendam: conceptus igitur à nobis assignatus omnem

R.P. Richard. Lyncei, Philosoph. Tom. III.

ni relationi prædicamentali conuenit, & nulli transcendentali: atque adeo poterit vtramque decernere.

36 Verum enim obijciat. Nec omnis relatio transcendentalis perfectionem, aut entitatem fundamento intrinsecam importat, nec omnis relatio prædicamentalis eam non aduocat: vtrique ergo, haud est à nobis sufficienter discriminata. Probat antecedens: nam consequentia non eget probamento. Primo: quia Paternitas diuina est relatio prædicamentalis, non minus, quam creata, & tamen infinitam perfectionem inuoluit, & essentia intrinsecam rationem superaddit. Secundo: quoniam cognitio, aut volitio libera Dei non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis sicut nostra; & tamen nullam interim perfectionem, aut entitatem essentia intrinsecam importat, aliàs aliqua posset perfectio Deo deperire. Rursus tertio: actio est relatio transcendentalis, quin tamen vllam perfectionem fundamento intrinsecam inuoluit, cum fundamentum eius sit agens, cui actio transiens, de qua sola sermo, extrinseca est, utpote quæ in passo residet. Quarto: Paternitas, verbi gratia, creata saltem est relatio prædicamentalis: nihilominus importat perfectionem, & entitatem essentialem, atque intrinsecam alicui fundamento, nimirum sibi ipsi, quæ quidem prædicamentally refertur ad filium, non minus, quam Pater, cuius substantiam extrinsecè denominat. Quinto: habitus, siue denominatio vestiti, armati, aliave similis, cum sit extrinseca, nullam importat perfectionem fundamento intrinsecam, nullam non deforis cadentem: nihilominus haud est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis, nec est generis ad aliquid, sed aliud suo matre constituit. Sexto denique: nullus modus perfectionem, aut entitatem inuoluit, quam fundamento intrinsecè superaddat, siquidem vñio, vbitas, actio, v.g. debilissimæ entitatis sunt, & non tam esse, quam modi essendi debent appellari: sed omnis modus est relatio transcendentalis: ergo, &c.

37 Respondeo negato antecedenti: ad primam eius probationem dicent fortasse aliqui, nullum prædicatum diuinum in prædicamento esse, atque adeo, nec Paternitatem. Dicent etiam alij, eam, & quemuis alium conceptum Dei proprium esse in prædicamento, sin minus physice, & prescè, at certè metaphysicè sumpto; idque absque vlla etiam imperfectionis vmbra: ceterum illam esse in prædicamento non relationis, sed potius substantiæ. Quod ita explicant, & confirmant: non magis differunt prædicamentum ad aliquid, & prædicamentum substantiæ, quam qualitatis, & substantiæ: sed quod in nobis est qualitas prædicamentalis, videlicet cognitio, & amor, in Deo substantia prædicamentalis est, cum Deus non per accidens aliquod, sed per suam substantiam cognoscat, & amet: Paternitas igitur, quæ in nobis est relatio prædicamentalis, in Deo non relatio prædicamentalis, sed substantia prædicamentalis est censenda. Rursus duratio, vbitas, actio, quæ in nobis ad prædicamentum vbi, quando, & actionis attinent, in Deo spectant ad substantiam prædicamentalem, cum Deus per suam substantiam duret, agat, & vbitetur: ergo similiter in presenti, &c. Verum ambæ solutiones aduersantur his, quæ superius constituta sunt, atque probata tract. 1. c. 1. 2. 3. & 4. Prior quidem, quatenus Deum à prædicamento ablegat, & cum eo quoduis eius prædicatum. Posterior vero, quatenus supponit

N 2 idem